



**M**artinus Borrhavus, qui & Cellarius dictus fuit, natus est Studgardiae in ducatu Vuirtenbergico anno 1499. Is cum foelici ingenio insignis esset, à pueris operam literis dedit, atq; Tubingae aliquãdiu Reüchlinum Hebraicam linguã docentem audiuit. Postea Heidelbergae artibus et linguis magna diligentia incubuit, atq; tandem artiũ Magister creatus, Vuitebergã ueniens Theologico studio præclaram operam nauauit, ac eam in omni genere studiorum eruditionem sibi comparauit, ut uiris doctissimis apud Germanos adnumeratus fuerit. Cum autem in Saxonis Ecclesijs non omnia illi arriderent, Heluetiam accedere pla-

cuit, atq; anno circiter 1536 Basileam peruenit. Ibi cum ob multifariam doctrinam hominibus doctis innotuisset, inter eius scholę Philosophiæ professores adoptatus fuit, atq; præcepta Rhetorices magno auditorũ applausu docuit. Hoc modo cum feliciter pergeret, atq; uitę integritate conspicuus esset, anno 1544 S. Theologiæ professor cõstitutus est. In ea facultate cum per 5 annos uetus Instrumētum ex ipsis fontibus interpretatus esset, tandem die 9 Iulij anno 1549 suprema Doctoralia insignia in Theologia solenniter accepit.